DE CHRISTI IN CŒLUM
ASCENSIONE
ORATIO
Habita in Basilica Lateranensi
Ad Sanctissimum Dominum Nostrum
BENEDICTUM XIV.
PONTIFICEM MAXIMUM

A COMITE MARCO ANTONIO MARCOLINI
Liberianæ Basilicæ Canonico.



ROMÆ M.DCC.XLII.

Ex Typographia Joannis Zempel prope Mont. Jord.
PRÆSIDUM FACULTATE.

BEATISSIME PATER

NIhil mihi ſane vel optatius, vel honorificentius accidere potuiſſet, quam altero vix anno, ex quo Romæ ſum, coram Te, BEA-

TISSIME PATER, amplissimoque Ecclesiæ Senatu ex ornatissimo loco verba facere. Ingentes propterea, maximasque gratias & Tibi debere me, quod loqui concesseris, & majores quidem habere, quod loquentem benevole audieris, sentio. Beneficium meum præ cæteris singulare, atque eximium, quodque abs Te uno, PATER SANCTISSIME, præterea nemine, consequutus sum, vix ausim attingere, cum pari oratione respondere nequaquam possim: illud nimirum quod ex disertissimis, totiusque sacræ antiquitatis eruditione, atque doctrina refertissimis comentariis Tuis comparavi. Etenim

tanta

tanta mihi ex eis oborta est lux & in re, qua de agere institueram, & in universâ propemodum Christianæ legis religione, & disciplina, ut nusquam alias tam solide, copioseque proficere potuissem. Cujus quidem beneficii Tui perennis atque uberrimi fructu in dies cumulabor & fruar.

Imprimatur.

Si videbitur Rm̃o Pat. Mag. Sac. Pal. Apost.

F. M. Arch. Tarsi Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Ridolfi Mag. Sac. Palatii Apost.
Ord. Præd.

ORATIO.

DIU multumque dubitavi, BEATISSIME PATER, gaudiumne, an mœrorem potius ac luctum discipulis suis attulerit Christi Domini in Cœlum ascendentis triumphus. Gaudere illi sane debuerant, magistrum suum intuentes sublime ferri, & non alieno suffultum auxilio, sed in multitudine virtutis suæ ad dexteram Patris euntem. At vero quod amantissimi præceptoris præsentia, sermone, consiliisque

que destituerentur, quali quantoque dolore conficiebantur! Irrupit eorum pectora dolor, ubi audierunt: *Quo Ego vado, vos non potestis venire*. Et quidem nunc dolore exanimes concidissent, nisi magna ab ejus in cœlum ascensione emolumenta sibi fore admonerentur: *Expedit vobis*, inquit, *ut Ego vadam*: Expedit? o suavissimam vocem! o discipulos, immo & nos, in cœlum Christo abeunte, fortunatissimos! Ex amplissimis autem hisce bonis, me pauca quædam brevi oratione delibare patiemini.

Joan. 21. v. 22.

Joan. 16. v. 7.

Fuit profecto gloriosa Christi ascensio, ut D. Thomas affirmat, salutis nostræ causa, quod nimirum per illam in nobis augetur fides, corroboratur spes, charitas perficitur. Et vero unde tot ac tanti Christianæ fidei ab ipso Ecclesiæ surgentis exordio progressus plane incredibiles, admirandique triumphi? Hærebant stupentes atque attoniti tortores ipsi, dum viderent non modo viros ac mulierum greges, sed puellas quo-

3. p. quæst. 57. art. 6.

que

que & imbecilles pueros ſeſe ultro ſæviſſimis offerre cruciatibus, ut Chriſti fidem profiterentur; & quo plura provinciarum præſides & Cæſares ipſi ad convellenda naſcentis religionis fundamenta machinabantur, eo lætior atque uberior Chriſtianæ fidei ſeges undequaque creſcere & quaſi luxuriare videbatur; ut proinde Tertullianus Martyrum ſanguinem Eccleſiæ ſemen jure appellaverit. Unde vero robur tam inauditum, unde tanta animorum fortitudo atque conſtantia? Profecto Chriſti triumphus aſcendentis in cœlum diſcipulorum fidem adeo excitavit, ut neque vincula, neque tela, neque ignes paverent; ſed per hujuſmodi ſupplicia ad cœlum properare, & cum Chriſto eſſe gauderent. En vobis teſtem locupletiſſimum Stephanum Protomartyrem: *Ecce*, inquit, *video cœlos apertos*. Itaque *Act. 7. v. 55.* ad beatiſſimæ patriæ conſpectum, non Judæorum minas, aut maledicta, non ingruentium ſaxorum grandinem formidare fas eſt. Quid plura? Apoſtoli ipſi, qui antea ſemper pavi-

di

di semperque clausi parietibus latitabant; a gloriosa statim Christi ascensione nonne ibant gaudentes a conspectu concilii; & pro Christi nomine contumeliam pati cupiebant?

Quod si ab ipsa Christi ascensione tantam vim fides accepit, non minora quidem inde spei, & charitatis consequuta sunt incrementa. Ex quo enim elevatæ sunt portæ illæ æternales, quas hodierno die Rex gloriæ omnibus patefecit, cui ejusdem gloriæ adipiscendæ spes abunde non suppetit? Quis tam præclara spe innixus, hostium impetum animose fortiterque propulsare non audet? Utinam angustiæ temporis sinerent; victorias ac triumphos præclarissimos recensere, quos ab omni sæculorum memoria Chri-
Joan. 14. v. 2. & 3. stiani heroes hac spe ducti retulerunt: *Vado, parare vobis locum: Ego vos ad meipsum accipiam.* O jucundissimam vocem!
Hebr. 1. v. 3. o spem suavissimam! Itane? ille, quem *Pater constituit hæredem universorum*;
Matth. 28. v. 18. ille, cui *dedit omnem potestatem in cœlo,*

&

& in terra; ille idem *nos cohæredes suos ad cælestem hæreditatem adeundam ac possidendam invitat*. Itaque cui spes illuc perveniendi non datur, ubi *præcursor pro nobis*, ut Apostolus inquit, *Jesus introivit, ut sedem nobis pararet, iter ostenderet*? Quis jam non glorietur in spe filiorum Dei? *Ephes. 3. v. 6.* *Heb. 6. v. 20.*

Cum autem fide, ac spe longe præstantior sit charitas; hanc quoque nobis in ascensione Christi divinitus oblatam esse gratulemur. Nam quî fieri poterat, ut Deus amorem suum denegaret iis, quos in cœlesti regno filii sui cohæredes effecit, quos tot promissis ac certis benevolentiæ suæ signis ad immortalitatem gloriæ prædestinavit? Neque enim nobis satis firma spes esset, nisi *charitas Dei diffusa esset in cordibus nostris*, ut illum præ omnibus diligeremus. Quod si *ubi thesaurus noster est, ibi est, & cor nostrum*, quonam amor & charitas nostra feratnr, nisi in cœlum, ubi Christus est, pax, gaudium, & thesau- *Rom. 8. v. 19. & 30.* *Rom. 5. v. 5.* *Math. c. 21.*

thesaurus noster? Ad cœlum ille exaltatus, quis dubitet, quin corda nostra charitatis
Joan. 12. suæ vi ad se trahat, qui omnia ad se tra-
v. 32. cturum esse promisit? Ascendit in cœlum, inquit Augustinus, Christus Dominus;
Serm. 26. ascendat cum illo & cor nostrum. In hoc
v. 3. ipsi roboremur, in hoc votis omnibus æstuemus: hoc meditemur in terris, quod computemur in cœlis.